







23a

FACULTATIS MEDICÆ  
P. T. DECANUS  
**D. GEORGIUS**  
**CHRISTOPH. PETRI**  
AB **Gartenfels/**

SACRI PALATII CÆSAREI COMES,  
Consiliarius & Archiat. Electoralis Moguntinus, Consul  
Primarius & Physicus Erfurtenfis, Universitatis &  
Facultatis Medicæ Senior, P. P.  
& P. L. C.

*Lectori Benevolo*

S. P. D.

*zumque ad*

DISPUTATIONEM INAUGURALEM PUBLICAM,  
DE

**GENERATIONE,**

DIE VIII. FEBR. ANNI MDCCXVI.

DEO CLEMENTER LARGIENTE, HABENDAM

OFFICIOSE ATQVE PERAMANTER

INVITAT.

---

ERFORDIÆ,

TYPIS JOH. HENRICI GROSCHII,

ACAD. TYPOGR.





Nter admiranda Supremi Creatoris opera palmarium est Generationis opus, ex quo præcipue divina elucet Sapi-entia, & quò mediante omnia animalia virtute primavæ benedictionis ex præexistente semine fiunt, crescunt, vegetantur & in infinitum se multipli- cant, atque perpetuitate, quam in individuis non obtinent, quoad suas

species gaudent: neque enim homines & bruta meliore modo poterant conservari, quam per subinde sibi succedentes prolificaciones, quarum interventu specierum manet immu- tabilis ordo, sexu masculino atque femininò suum *επιβύλλον* huc conferente, concurrente Naturæ edictò, atque ingenitâ vi generationem quasi sollicitante, & virtutem pla- sticam fuscitante ad magnum hoc opus perficiendum, & qui- dem abstrusò modò nobisque in hâc humanæ mentis caligine non satis cognitò

Non enim videntur applausum mereri, qui, ut reliqua, sic etiam hoc Generationis mysterium mechanicò more de- lineari posse putant, illudque sic demonstrare satagunt, si- quidem nemo, astipulante Thomâ Bartholinò, Naturam artificem satis assequitur: mechanicè omnia in corpore ru- diter fieri, inquit, nondum mihi est persuasum, qui nobi- liora mihi de Natura semper promissi: vid. ipsius lib. 1. ana- tom. p. m. 269. quamvis enim Ars sæpè soleat imitari Natu- ram, in hoc tamen arduo Generationis negotio Ars Naturæ porri-



porrigit victas manus, quippe quæ multis parasangis omnes superat Artifices, quibus nudam aspiciere Dianam non semper est concessum.

Fertilis autem hic Naturæ ager est Uterus, qui propterea ab Aristotele Naturæ campus, & à beato Guern. Rollincio arvom genitale appellatur: estque pars corporis organica in hypogastrîo sita, in quâ fit conceptio humani generis propagationi inserviens: cujus actio est semina utriusque sexus attrahere, retinere, conservare, atque embryoni post factam conceptionem hospitium & alimentum ex sanguine arterioso suppeditare: semen autem utriusque Parentis debet esse sæcundum, id est, virtute plasticâ à toto deciduâ præditum & benè constitutum, muliebri quidem ad fuscipiendam, virile verò ad dandam formam animatam aptum: cum quorum inter se commixtorum seminum infusio calore se calor uteri conjungit, atque ita Generationis opus promovet & absolvit.

Hæc cum ita se habeant, existimo, non audiendum esse hæc in parte Harvejum ejusque soldurios, qui virtutem formatricem semini prorsus denegant, atque semen maris statim rejici & evanescere solâ ideâ relictâ, & sic tantum non immaterialem dari conceptum, verum etiam eundem conceptui Cerebri non dissimilem esse statuunt: sed hæc omnia infirmò stant talò: primò enim non credibile est, omne semen eliminari: sic enim frustra factum esset: id quod de DEI & Naturæ operibus dici non potest nec debet: 2. Semen revera remanere & ad sætum constituendum concurrere evincit similitudo sætus cum Parente, non tantum in ideâ seu specie aut indole, sed etiam quoad corpus sæpè adeò simile paterno, ut ovum ovo: 3. Symptomata statim post conceptionem molesta contrarium astruunt: à feminis enim comprehensione in uterò factâ, teste Hippocrate atque ipsâ rerum Magistrâ experientiâ aliquem horrorem primum sentit fæmina, subinde incalescit, venter sen-



sim tumescit, subsistunt menses, turgent mammae, stomachus nauseat, gravantur lumbi & alia insueta contingunt: deinde magna est dissimilitudo inter conceptus Cerebri & uteri: nam per organa sensuum nihil materiale transit ad Cerebrum, sicut ad uterum, sed sola species, unde ex illius conceptu immaterialis effectus sequitur, ex hujus corporeus & materialis: quia itaque materialis est effectus, impossibile est, ut habeat principium immateriale.

Nullum igitur est dubium, hominem cum omnibus animalibus alius semini tanquam primario ad generationem requisito ortum suum debere, illudque sine piaculo & injuriâ Creatori illatâ hoc in actu excludi non posse: quod etiam Helmontius in Tractat. Ignotus hospes morbus inscripto confirmat, scribens, generationem nihil aliud esse, quam fluxum seminis ad perfectionem, maturitatem, proprietatem, explicationem occultorum, & consummationem ordinum ad suos fines.

Commixta in utero femina conceptione jam peractâ turlescere, & instar bullarum intumescere & quasi ebullare scribit Bonaciolus lib. de fœtûs formatione pag. 58. sicque pro primis trium viscerum principaliorum rudimentis oriri tres bullas, nimirum pro corde unam, reliquas duas pro Cerebro & hepate statuit, hocque spumescens opus sex dierum intervallô absolvi credit: stante hoc assertô statim in primâ suâ configuratione Homo bulla est, omnem per vitam quoque postea bulla futurus: conclusus in angusto ergastulo embryo natat in uvido & palustri diverforio, ut minus gravis sit matri, & ut ipse à subitaneis & violentis Matris motibus indemnus sit: circumseptus est undique alvi & vesicæ excrementis, sicque parum abest, quin prius sit tumulatus, quam natus: tam vile, miserum & abjectum domicilium habuerunt omnes mortales, etiam maximi Terrarum Domini, quibus postea vix sufficiunt Regia palatia, imò vix unus sufficit Orbis.

Mora



Moratur autem tamdiu fœtus in utero, donec omnibus numeris absolutus lucis in auras prodire atque justò tempore excludi possit: quò pactò autem & quò ordine partium fiat formatio, intricata res est, admirabilis, divina, explicatu difficilis, omnium abditissima, & in intimis Naturæ recessibus reposita, de quâ mirum quantum inter se dissident Anatomici, quando stupendam istam in utero texturam declarare satagunt: agnovit hoc Rex inter Prophetas & Propheta inter Reges David Psalmò CXXXIX. in hæc verba prorumpens: mirificè formatus sum: mirabilia sunt opera tua: formatus sum in inferioribus terræ, id est, in utero Matris meæ, ut Chaldæus Paraphrastes & Rabbini exponunt: exclamamus meritò cum Poetâ, ô Domine,

*Compago mira corporis nostræ tuæ*

*Miraculum est solertia:*

*Masse recentis rudia adhuc primordia,*

*Rudisque masse semina,*

*Ceu scripta haberes, corporisque lineas,*

*Motum statumque noveras:*

*Et membra nondum cum forent, quid adderent*

*Dies sciebas singuli.*

Fœtus à Natura sic in suò fœtus tabernaculo tandem prodit in auras decursò gestationis tempore inter maximos mulieris parturientis labores atque dolores: cæteris animalibus certum pariendi tempus est: homini incertum: nascuntur alii septimo, nonò, decimò, undecimò mense: non paucas fallit gestationis supputatio: multas insperatus antevertit casus: ut dubium est conceptionis, sic non minus incertam nativitatis tempus.



Sine utero fœtum formari posse, affirmarunt, tentarunt-  
que olim Abensina, Paracelsus, Amatus Lusitanus, factò  
experimentò per impiam & detestandam curiositatem, à quâ  
meritò quilibet Christianus abhorret, quod etiam videtur  
esse impossibile, & propterea nec fidem, multò minus ap-  
plausum meretur: extra uterum autem in ventriculo fami-  
næ cujusdam conceptum fœtum & digiti longitudine per os  
excretum fuisse scribit Salmuth in observ. Fœsem fatam ca-  
tulos evomuisse refert Bartholinus anatom. lib. i. cap. 28. p. m.  
270. Sed hæc sunt præternaturalia, & rarissimè contingentia,  
si quidem vera sunt. De conceptione tubaria scripsit tracta-  
tum D. Elsholtzius, qui videri potest.

Pluribus ager de arduo atque recondito generationis ne-  
gotiò in suâ Dissertatione Inaugurali Vir Nobilissimus atque  
Clarissimus

**DN. GEORG. VOLCMARUS**  
**Hartmann / VINARIENSIS,**  
**MEDICINÆ BACCALAUREUS.**

Cujus natales, Præceptores, historiam vitæ & Studiorum  
hæc breviter pertexere animus est, & recepta consuetudo  
postulat: editus ille est in hanc lucem Vinariæ, Anno mil-  
lesimò, sexcentesimo octuagesimò nonò die secundâ De-  
cembris: Pater fuit Nobilissimus, Amplissimus atque Expe-  
rientissimus Vir, Dominus Martinus Hartmann / Medicinæ  
Doctòr, & Physicus Vinariensis, beatæ memoriæ: Mater  
fuit Nobilis & Pientissima Matrona Regina Bodin / Viri  
quondam Integerrimi & Prudentissimi Domini Everhardi Bo-  
dii, Senatoris & Mercatoris Erfurtenfis filia, nunc etiam  
*in ætate.*

Horum suorum Parentum primaria cura fuit, ut piè  
atque honestè educaretur: quem in finem quarto atatis an-  
nò,



nô, quô Dominus Parens beatè obiit, à matre superſite ludo literario Vinarienſi commiſſus ſub manuſcriptione Viri Clariffimi Domini Neugebaueri, Directoris, cæterorumque Dn. Præceptorum, nimirum Dn. Sextii, & Dn. Aldii prima pietatis & literarum fundamenta jecit: annô ætatis octavo Jenæ ſub inſpectione fraternâ Domini Doct. Hieronymi Erhardi Hartmanni pædagogis commiſſus eſt: vix annum ibi commoratus propter adverſam valetudinem Patriam repetiit, ibidem porro literis operam daturus: Annô ætatis nonô, quo beata Mater Viro quondam Nobiliſſimo, Ampliſſimo atque Conſultiſſimo Domino Jobo Ludolpho, Jur. Utr. Doct. Conſuli Erfurtenſi primario, & Mathematicum Profeſſori Publ. nupſerat, cum eâdem Erfordiam petiit: ubi per quinque annos informationi Reverendi Domini Nicolai Kannewurfii, Scholæ Minoritarum Rectoris traditus eſt. Annô M DCC V. ad Gymnaſium Senatorium promotus ibidem Viri quondam admodum Reverendi Domini Zachariæ Hogelii, Gymnaſii Directoris, & Paſtoris Nonarii, cæterorumque Clariffimorum Dn. Profeſſorum fideliffimâ informatione per integrum quinquennium uſus eſt: poſtmodum cum beato Domino Vitrico Hamburgum ſe contulit, illuſtre, quod ibi eſt, Gymnaſium frequentaturus: ſed paulo poſt revocatus, ad paternos lares regreſſus eſt, ſalutatâ prius Lubecâ aliisque Civitatibus perluftratis.

Erfurtam reverſus ibidemque in album Civium Academicorum relatus animum ad altiora, Philoſophiam ſcilicet & Medicinam appulit: quem in finem Clariffimum Virum Dominum Volcmarum Wilhelmum Stengern / Facult. Philoſoph. Seniore & Profeſſorem Publ. ſedulo auſcultavit: nec deſuit ipſi antehac beati Domini Parentis in Matheſi inſtitutio: interfuit etiam Collegiis privatis & publicis Lectio- nibus Viri Nobiliſſimi, Ampliſſimi atque Experientiſſimi Domini Johannis Philippi Eyſelii, Philoſoph. & Med. Doctoris & Profeſſoris Publ. celeberrimi, P. L. C. &c. Collegæ mei  
hono-



honorandi. Anno ætatis vigesimo primo adiit Fridericianam Academiam, ubi per integrum quadriennium studia tam Philosophica, quàm Medica haut interruptâ serie continuavit: nec ibi neglexit mathematica exercitia & Physicam experimentalem sub manu ductione Dn. Doct. Christiani Wolffii, P. P. Ord. Societat. Regiæ Britannicæ & Borussicæ Sodalitatis famigeratissimi: Præterea Dominum Doct. Schneiderum & Dominum D. Heineccium publice Philosophiam explicantem audivit: Cursum Medicum sub *καταγωγῆς* Domini D. Michaëlis Alberti non solum inchoavit, verum etiam feliciter absolvit: Insuper anatomen Cadaveris humani sub directione Domini D. Heinrici spectavit, illustrisque Viri, Domini D. Stahlii, res naturales & Chymicas doctissimè illustrantis, attentus Auditor fuit: his ita peractis Vinariam natale solum repetiit, ibidemque præeunte supra laudato Domino Fratre praxin Medicam exercuit.

Tandem post beatum Matris obitum Erfordiam denuo petiit, ibidemque in numerum Civium receptus, ut etiam Medicinæ Candidatis accenseretur, atque ad consueta Examina admitteretur, decenter petiit: petiti compos factus ita se exhibuit, ut nulli dubitemus, fore, ut ad exemplum Domini Parentis *τῷ μακαρίῳ* sit futurus Medicus *πολλῶν ἀνάξιος ἄλλων*. Die 30<sup>o</sup> Februarii, Deò dante, de Generatione Disputationem Inauguralem habebit, cui ut interesse dignentur Universitatis Proceres, Cives Academici, & omnes Medicinæ Fautores, hōc ipsò officiosè atque humaniter rogantur & invitantur. Publicatum sub Sigillo Facultatis Medicæ Erfordix, die 2. Februarii, Anno Orbis redempti M DCC XVI.

(L. S.)







OO A 6318

ULB Halle 3  
002 933 500



SB

VD  
18

Reho ✓ V D 17





IS MEDICÆ  
 CANUS  
 ORGIUS  
 PH. PETRI  
 rtensfels/  
 CÆSAREI COMES,  
 Moralis Moguntinus, Consul  
 ffurtenfis, Universitatis &  
 icæ Senior, P. P.,  
 .L. C.  
*Benevolo*  
 P. D.  
*que ad*  
 GURALEM PUBLICAM,  
 DE  
 ATIONE,  
 ANNI M DCC XVI.  
 RGIENTE, HABENDAM  
 VE PERAMANTER  
 ITAT.

---

RDIAE,  
 NRICI GROSCHII,  
 TYPOGR.

